

Primæ azymorum non genuina erat diei 14. sed ab alterâ die, scilicet 15. communicata appellatio. Porro monstri loco habendum est, eodem pariter primæ diei azymorum nomine diem quoque 13. Lunæ cenferi, quod scilicet in vespere ejusdem diei 13. dies 14. Lunæ iniret, ut quam dies ista 14. à succedenti die 15. trahebat appellationem, eandem in diem 13. reflecteret, tresque sibi succedentes dies eodem communi nomine primæ diei azymorum nuncuparentur. Nemo sanè prudens id commissum à Judæis, nisi apertissimis Scripturæ Textibus convictus crederet. Id autem reipsâ factum constituunt contrariæ sententiæ patroni, & ita constituunt, ut nisi hæc Textus Evangelici interpretatio probetur, actum sit de illorum systemate universo. Ita ergo habet Evangelium: *Primâ die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus Pascha?* Matt. 26. 17. & Marcus 14. 12. *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant &c.* Et Luc. 22. 1. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Tres isti Evangelistæ uno assensu, & unâ eademque phrasi asserunt, qua die gemini Apostolorum ad parandam cœnaculum missi sunt, primam azymorum recurrisse. Ecuam, rogo? an diem decimam quintam Nisan, quæ prima azymorum solemnè nomine appellatur? Minimè, inquit ex illis Evangelistis duo, sed dies agebatur prima azymorum quidem, sed qua necesse fimal erat occidi Pascha, nempe 14. Nisan quæ sanè prima azymorum rectissimè diceretur, cum ejus diei vespere azyma iniret. In hac interpretatione & sententiâ omnia plana sunt, non item in adversa, qua illud *primâ die azymorum* interpretari coguntur ejus assertores de die 13. Nisan. Quis, rogo, hanc interpretationem arduam non esse, & vix ipsis, à quibus adstruitur, probatam, non intelliget? Promant illi similem loquendi phrasim ex Sacris Libris, sive de ceteris etiam Recentiorum Lucubrationibus, vel unam, qua dies ante pervigilium Festi tamquam dies ipsa festa habeatur appellereturque. Nunc autem infuerâ hac phrasi usos non unum tantum vel duos, sed & tres simul Evangelistas, diffinito tempore, loco, & consilio scribentes, coposituunt.

Sed iterum ad Evangelium. *Venit*, ait S. Lucas, *prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*: tunc missos narrat ad instruendum convivium duos ex Discipulis, qui *euntes paraverunt Pascha*. Regressis illis ad Jesum, & præsto esse omnia narrantis, *cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Idem pariter apud S. Matthæum legas, postquam enim parata omnia à Discipulis, ait: *Vespere facta discubebat cum duodecim.* Plus aliquid addit S. Marcus, nempe & paratum à Discipulis Pascha, in cœnaculo grandi & strato, ac intra Urbem situm illud narrat: tum ait: *Vespere facta venit cum duodecim.* Quod, rogo, venit? scilicet ad locum paratum pro celebrando convivio Paschali, de quo Evangelista ille sermonem instituit.

Cur tam solerter tres illi Scriptores adnotandum sibi arbitrentur Jesum vespere facto discubuisse? Quænam hora infiuatur à S. Matthæo pro cœna instituenda, nisi hora Paschali convivio præscripta, vespertina illa scilicet, uti ab omnibus Evangelistis fideliter adnotatum est?

Cum cœnaret Jesus, familiare cum Apostolis colloquium exorsus, ait: *Desidero desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Fallor? an hæc verba pro convivio Paschali tunc instituto designando, demonstrationis loco habenda sunt? Quamquam enim à SS. Patribus nonnullis de Eucharistico convivio mysticè exponantur, nihil tamen vetat, quin ad literam pariter de Paschali etiam intelligenda sint, quomodo reipsâ à plerisque tum ex Patribus cum ex Interpretibus omnis ætatis exposita sunt. Periculosum est maxime à communi Patrum & Interpretum expositione recedere, nisi si forte literæ Textus apertus sit aded, ut aliam à communi inire interpretationis viam cogat.

Ad hæc, vix ac vix quidem persuaderemur, Jesum, parando cœnaculo pro celebratione Paschalis tam sedulo missis duobus Discipulis incubuisse, si neque sibi degustandam cœnam illam norat, neque Apostolis huc illum morte suâ dispergendis integrum futurum præviderat, ut quicquid in unum convivii locum conveniret. Cur Apostolis rogantibus, quo maxime in loco Pascha celebrare decrevisset, non statim prodidit, omnem sibi Paschalis illius cœnæ degustandæ occasionem Judæorum livore tollendam? An forte de imminente sibi morte triste nuncium asserere Discipulis timebat, quos pauld antea de omnibus fecit certiores: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius tradetur, ut crucifigatur?*

At enim S. Joannes disertè asserit, Jesum neci traditum die *Parasceve Pascha*, atque defuncta reorum corpora è supplicio deposita fuisse ante solis occasum, ne remaneret in cruce corpora Sabbato & erat enim magnus dies ille Sabbati; i. e. solemnitas azymorum cum Sabbato illo inibat. Addit tandem, Judæos, ne in Prætorium ingrederentur, religione absteritos fuisse, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. Nondum igitur feriâ sextâ, quando scilicet Jesus ad Pilati Tribunal delatus fuit, Paschalem Agnum degustaverant. Scitum est, quam verbis hæc Evangelistæ interpretationem Viri doctissimi communis sententiæ assertores tribuerint. Namque ea quæ de Parasceve Paschalis à S. Joanne narrantur, hæc intelligenda censent de die Parasceves intra Paschalem hebdomadam futurâ. Præceptum enim erat apud Judæos, quemadmodum & Bochartus observat, singulos hebdomadæ dies ita distingui: Prima Sabbatorum, secunda Sabbatorum &c. quinta Sabbatorum, & Parasceve. Itaque feriâ sexta Paschalis hebdomadæ rectissimè Parasceve Pasche appellata est. Quod autem inferre pedem in Prætorium religioni ducent Hebræi, inde causa repetenda est, quod Paschalem so.

solemnitatem victimarum pacificarum immolatione solemniorē habere consueverunt, quarum erat singulis, modò expiatis, eas permittis. Ita servatum legas in solemnè illo Paschate sub Ezechia celebrato: *Immolantes victimas pacificarum, & laudantes Dominum (o).* Ne igitur quidquam de consuetis cæremoniis detraheretur, id potius sibi committendum censuerunt Hebræi, gens rituum suorum tenacissima, ut Præses Romanus ultro citroque discurreret, quàm ut sacris cæremoniis aliquid afferretur incommodi.

Caverunt tandem, ne remaneret in cruce corpora Sabbato, quod dies ille Sabbati in hebdomadam Paschalem incidens duplicis Festi conjunctione solemnitatem auget. Ita quidem S. Joannis Textum Viri sine controversia doctissimi interpretantur, quorum expositio, etsi multum ab evidentia abes-

se ultro fateamur, illud tamen apud æquos rerum estimatores evincit, ut non minus prona saltem & literalis habeatur, quàm adversæ sententiæ altera, diei 13. Nisan primæ azymorum appellationem vindicans.

Quæ cum ita sint, eadem planè, quæ prius adducta est, consecutio recurrit. Cum de Scripturæ aliqua interpretatione res est, si utriusque partis Textus apertissimi in speciem videantur, illius est potior ratio, cui omnium sæculorum traditio favet. Favet autem huic postremæ sententiæ, non recepta utcumque, sed ab ipsis Apostolicis temporibus cœpta traditio, quam Fidelium omnium sæculorum persuasio fulcit, doctissimorum Criticorum Maudit, Tillemontii, Bessini &c. suffragia confirmant; ac tandem ipsa Ecclesiæ, si non desinentis, saltem in illam inclinantis auctoritas vindicat.

## IN EVANGELIUM S. MARCI PROLEGOMENON.

a 1. Pet. 5. 13.  
Et Marcus filius meus.  
b Vide Hieron. in Isai. 65.  
c Hieron. in Catalog. Theophyl. in Marc. Orig. apud Euseb. l. 6. c. 26.  
Hæst. Eccles. d Apud Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 14.  
e Tertull. l. 4. cont. Marc. Vide Epiph. bar. 51. Chrysost. hom. 59. in Matt. Hieron. in Catal. Theophyl. Athanas. in Synopsi, & alii.  
f Epiph. heres. 57. Hippol. in Ms. Bodlej. apud Mill. ante init. Marci pag. 69. g Orig. de rebus in Deum fide, Dorothaus in Synopsi, Procop. Diacon. apud Boll. 25. April.

**Q**uid de S. Marco statuatur diffidum est inter Authores. Eundem esse virum, quem S. Petrus in primæ epistola (a) sua spiritalem filium appellat (facile quod ad fidem conversum Baptismate [b] initiavit) Veterum plures autumarunt (c). Papias (d), & S. Irenæus l. 3. c. 1. discipulum, & interpretem ejusdem Apostoli appellant; quod suffragio deinde suo probarunt veteres plures (e) & recentiores Authores. Porro interpretem in eo agebat vir sanctus, Græcè, sive Latine explicans, quæ alterutro sermone idem Apostolus loquebatur; vel saltem distantis Petri epistolæ cultiori phrasi stiloque excipiebat.

SS. Epiphanius, & Hippolytus (f) in Ms. Bodlejano, Pseudo Dorothæus, Nicephorus, alique in censum septuaginta Discipulorum eundem Evangelistam referunt, qua in re consensisse Veteres constat (g); addunt tamen illi, S. Marcum scandalo unâ cum Capharnaitis omnibus affectum, minus ferentem illa Jesu Christi verba Joan. 6. 55. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Subductum propterea à consortio Jesu unâ cum aliis, exemplum illorum secutum, S. Petrus deinde ad fidem reduxit; coque comite fidissimo in itinere suo Romam usus est, ubi & scriptum ab illo Evangelium. Hæc de S. Marco verosimiliora feruntur.

Author anonymus in Acta è genere Aa-

ronis virum deducit, narrans pariter insignè Sacerdotum in capite illum gestasse: *Pontificalis apicis petasum.* Confundunt alii [b] cum Joanne Marco, qui filius in Actis scribitur Mariæ femine Jerosolymitanæ, in cujus hospitium, ubi & Fideles sese continebant, Apostolus Petrus, è carcere Angelico beneficio liberatus, sese receperat (i). Porro Joannes Marcus consobrinus erat S. Barnabæ, & S. Paulum unâ cum S. Barnaba Antiochiam primum, deinde Cyprum secutus est. Cum venissent in Pergem Pamphiliæ utroque comite relicto Jerosolymam rediit (k); quare Apostolus Asiam secundò peragraturus comitem illum recusavit. Verùm hæc quorundam opinio minis ceteris omnibus probatur (l). Vix enim persuaderetur, S. Marcum fidissimum Apostoli Petri, juxta totius Antiquitatis testimonium, comitem sociumque, quique anno 43. juxta Eusebium, Evangelium suum scripserat, & pauld post ab eodem Apostolo missus in Ægyptum venerat, tandiu Apostolo Paulo hæsisse? Adde pariter, nullibi apud Veteres Joannis Marci nomine appellatum occurrere; quin & duos illos viros apertissimè ab Eusebio distingui.

Joannes ille Marcus, in Actis, & in Epistolis Pauli notus, non diu ante obitum. Apostoli in vivis agebat, cum in epistola ad Timotheum secunda, ad annum 12. Neronis, & 65. vel 66. Jesu Christi spectante, roget Timotheum Apostolus, ut Epheso Romam deducat Joannem Marcum. Scitum est autem, juxta fidem S. Hieronymi

h Constitut. l. 2. c. 57. Hieron. in Epiphilemon. ver. 23. Scholia. Græc. in Acta 12. Doroth. Spanhem. de Marco Evangelista; Combes. Auluar. PP. i Act. 12. 12. k Act. 15. 37. 39. l Baron. Grot. alii.